



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. II. Quid sit iniudia, & quale peccatum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

4
Bona diuina
in nobis sunt
duplicita.

Pro resolutione Nota Primò, bona spiritualia diuina in nobis esse duplicia. quædam enim non sunt secundum se necessaria ad salutem, nec in nobis est vlla per se & independenter à nostra voluntate obligatio ea suscipiendi: qualia sunt status Religionis, sacerdotij, &c. Alia verò sunt absolute necessaria, ita vt obligemur ea nobis velle, & in nobis conseruare, qualis est status Christiani hominis, & filij Dei adoptiui, & consequenter ea omnia, quæ hic includit, vt sunt gratia iustificas ac habitus aliarum virtutum, amicitia inter Deum & hominem, &c. Quamuis autem dicta bona præcisè secundum se spectata, nihil contineant cur possint alicui displicere, quatenus tamen constituunt hominem in necessitate obseruandi omnia mandata, ita vt necessarij sit nos aut horum omnium obseruatione dicta bona in nobis conseruare, aut æternis supplicijs addici; dictus status habet aliquid sibi annexum quod laboriosum ac molestum est; atque ita ratione huius potest apprehendi vt malus, ac nobis displicere.

5 Nota Secundo, etsi Deus ac eiusmodi bona spiritualia non possint nobis displicere, nisi quatenus habent annexam eiusmodi necessitatē subeundi aliqua nobis molesta, aut cupiditatibus nostris repugnantia; tamen odium huius molestiæ ac necessitatis sæpè aliquos excitare, vt illa bona quibus apprehendunt hæc connexa, secundum se oderint, iuxta dicta disp. 29. n. 10. & 26.

Quando igitur D. Thomas supra docet, acediam prout est speciale vitium, non refugere bonum spirituale prout est laboriosum, sed bonum spirituale diuinum, solum intendit docere, eam refugere non solum ipsum laborem, qui reperitur in conseruatione illius boni, sed etiam ipsum bonum diuinum, ita vt hoc, quamuis propter illum laborem coniunctum, tamen verè secundum se homini displiceat.

6
Quid sit acedia.

Respondeo igitur acediam, prout est vitium speciale oppositum caritati, consistere in quadam tristitia ac displicentia, qua ob iædium laboris ac difficultatum, quas quis experitur in conseruanda Dei amicitia, eum huius tædet, doletque se ita à Deo esse creatum, vt necessariò debeat aut per fugam vitiorum & mandatorum obseruationem esse æternum beatus, aut si illa recuset æternum damnari; adeoque vellet ea esse conditione, vt neque cælum neque infernum bene aut malè viuendo mereri posset. Hæc videtur aperta sententia D. Thomæ supra art. 2. in corpore, vbi docet, tunc esse acediam contrariam caritati, quando quis tristatur de bono diuino, de quo gaudet caritas; id est de quo necessariò & ex obligatione gaudet, vt patet ex art. 3. ad 2. Eandem tenet Valerius Reginald. in praxi conscientiæ l. 17. n. 107. Potest itaque acedia vt est speciale vitium, hoc modo defini: *Acedia est tristitia de bono spirituali diuino, quod ex fine creationis nostra tenemur in nobis conseruare.* qualia bona sunt amicitia Dei, & status filij adoptiui; in hunc enim finem creati sumus, vt inuis amici ac filij Dei.

Reginald.

7
Acedia est
graue peccatum.

Hinc patet Primò, acediam vt est vitium speciale, ex genere suo atque adeo semper esse peccatum mortale, & quidem valde graue, nisi per

inadvertentiam excusetur. quia continet apertum contemptum amicitie diuinæ, ac status filij æternæque beatitudinis, dum quis æstimat hæc indigna, quæ tantillis laboribus comparentur, adeoque dolet se ad hoc metu suppliciorum cogi. quod fit cum graui Dei iniuria, qui hac ratione etiam grauitur contemnitur; sicut grauissimè contemneret maiestatem regiam, qui doleteret se à rege in amicum & familiarem assumi, eò quod hac ratione impediretur à scurrarum consuetudine, qua ipse delectaretur.

Patet Secundò, quando quis dolet de bono aliarum virtutum, siue præceptorum iuris naturæ aut positui, eò quod cum aliquo labore & fuga voluptatum teneatur bonum virtutis in se conseruare, & præcepta obseruare, esse vitium acedie generale, & diuersis virtutibus repugnare ratione materiæ de qua quis particulatim dolet: & tunc esse peccatum mortale, quando quis ob eam deliberatè statuit violare aliquod præceptum grauitur obligans, aut dolet se esse creatum, aut optat esse animal irrationale, vt liber à præceptis possit sine timore suis cupiditatibus ac otio indulgere.

Patet Tertiò, quando aliquis tristatur se esse factum sacerdotem aut Religiosum, eò quod expectatur magnas molestias in seruandis ijs, ad quæ ex suo statu obligatur, esse solum generale acedie vitium. imò non esse peccatum mortale, quamdiu abest morale periculum ne talis moueatur ad violandum aliquod præceptum grauitur eum obligans: nam sicut prius non tenebatur velle eum statum suscipere, sed poterat id nolle; ita iam saltem sub graui peccato non obligatur gaudere se eum suscepisse, aut de eo non dolere. Hoc tamen semper continet aliquam inordinationem affectus, quo cum aliqua illius status iniuria aut quies ab illa molestia, aut alia bona terrena ei præponuntur: estque valde periculofum, quia cum tales incipit sui status penitere valde repidè eum colunt, & exponunt summis periculis eum deserendi.

Patet Quartò, acediam esse vitium capitale ex quo varia alia nata sunt gigni: nam cum aliquis nullam iucunditatem, sed magnam tristitiam experitur in prosecutione boni spiritualis, eamque voluntariè fouet, statim inclinatur ad desperandam perseuerantiam in mandatorum obseruatione, & vt tradat se vitijs, in quibus voluptatem & animi quietem sperat. Vide S. Thomam supra art. 4.

D V B I V M II.

Quid sit inuidia, & quale peccatum:

Nota Primò, inuidiam ex mente D. Thomæ 2. 2. q. 36. a. 1. hoc modo à Doctores definiti: *Inuidia est tristitia de bono alterius in quantum æstimatur diminutiuum propriæ gloriæ.* Quam definitionem impugnant Martinus de Magistris apud Caiet. in dictum art. & Lorca ibid. Primò, quia Magistris repugnat definitioni quam tradit Aristoteles l. 1. Canticorum. 2. Rhetorices cap. 10. vbi ait, *Inuidia est dolor quidam, quoniam similes boni aliquid adepti videntur non vt quidquam sibi, sed propter illos.* Quibus verbis

verbis volunt Aristotelem significare inuidium dolere de alterius bono, non quia inde sibi aliquod incommodum timeret, sed præcisè quia alteri bonum est. Secundò, quia dolere de alterius bono ut diminutio proprij, est effectus timoris procedens ex amore boni proprii, quod timemus minuendum, qui dolor secundum D. Thomam in dicto art. distinguitur ab inuidia.

12 Volunt huiusmodi inuidiam esse dolorem de bono alterius præcisè quia ipsi bonum est; & nasci ex eiusdem odio, & ab hoc distingui quòd per hoc velimus alteri malum quia ipsi malum, per illam verò dolemus de eius bono quia ei bonum est. Sed alij melius asserunt vtrumque hunc actum esse odij, quia eiusdem omnino virij est, velle alteri malum, & dolere de eius bono quia ei bonum est. Item secundum eam sententiam malè tam Aristoteles locis iam citatis, quàm cõmuniter alij dicerent inuidiam necessariò esse inter aliquo modo æquales aut similes, nec posse existere inter omnino inæquales ac dispares; sed deberet eam constituere inter inimicos: horum enim bonum præcisè quia ijs bonum nos contristat, abstrahendo planè, an nobis sint æquales, an inæquales. Aristoteles autem sup. c. 9. expressè docet, quòd, sicut nemesis dolet de bono alieno præcisè quia accidit indigno, ita inuidia de bono alieno dolet quia accidit pari, quæ ex dicendis clariora fiunt.

13 Nota igitur Primò, cum D. Thomas sup. a. 2. nos quadrupliciter posse dolere de bono alterius. Primò, eò quòd timeamus nobis ex eius prosperitate aliquod nocuementum, & ait huc dolorem posse esse non malum, quando scilicet & prudenter illud timeamus, & dolor est moderatus. Secundò, quando dolemus, non quia alter tale bonum habet, sed quia nos eo caremus; & hic dolor est zelus, potestq; esse bonus, quando versatur prudenter circa bonum spirituale: potest etiam esse malus, quando est imprudens ac immoderatus, aut circa res non appetendas. Tertiò, quòd dolemus eò quòd aliqua bona accidat indignis, & vocatur nemesis, quod solum potest habere locum in diuitijs, honoribus, & similibus bonis, quæ æqualiter bonis ac malis possunt obtingere: nam bonum virtutis nequit indignis contingere. Quartò, quando aliquis dolet de bono alterius, eò quòd timeat ab eo in eiusmodi bono æquari aut superari, & tunc est inuidia. Quibus addi potest Quintò, quando quis dolet de bono alterius præcisè quia ipsi bonum est, qui est actus odij.

14 Circa hos dolores est difficultas Primò, quia primus & quartus non videtur satis distinguenda qui dolet quarto modo de alterius bono, ideo dolet, quia inde sibi timet aliquod malum, scilicet obscuracionem sui nominis: ideo enim timet ab alio æquari aut superari, quia timet ne hac ratione sua gloria apud alios obscuretur, nec tanti fiat quantiantrè fiebat, dum apparebat ceteris omnibus in eo bono excellere.

Nec refert an hic vel ille timor sit prudens an imprudens, iustus an iniustus, mali impendentis veri an solum apparentis. Quia hæc non variant naturam timoris aut doloris cum sequentis secundum se, sed solum in ratio-

Coninck de act. supernat.

ne aliqua morali bonitatis aut malitiæ.

15 Et difficultas Secundò, circa tertium dolorem: an sit bonus vel malus. Aristoteles sup. c. 9. docet esse bonum: quem sequuntur Lorca Mart. de Magistris. 2. 2. q. 36. a. 2. & Martinus de Magistris apud Cætanum in eundem art. Probant Primò, quia meritò dolemus de omni iniusto siue iniquo: atqui indignos frui illis bonis, est aliquo modo iniquum, quia in eo non seruatur æquitas siue debita proportio: ergo meritò de eo dolemus. Secundò, quando is, cui incumbit publica officia aliæque similia bona distribuere, ea indignis confert; meritò indignatur: ergo etiam meritò indignamur, quando bona fortunæ indignis contingunt. Contrarium docet D. Thomas sup. a. 2. vbi Aristotelis sententiam reprehendit.

16 Nota Secundò, aliquem dupliciter posse meum bonum mihi eripere illudve minuire. Primò, per actionem directè mihi nociuam, inferendo rebus meis aliqua ratione vim, quod facit etiam is qui famæ meæ detrahit. Secundò, solum indirectè & per accidens, nullam vim rebus meis inferendo, nec bonum quod possideo mihi propriè auferendo, aut secundum se minuendo; sed solum aliquid efficiendo, ex quo sequitur ut meum bonum sit apud alios minus illustre, minusque appareat. Sicut quando ingens ac lucida fax parua candelæ adiungitur, huius lucè nullo modo secundum se imminuit; sed solum efficit ut aliis minus illustris appareat. Et simili ratione quòd aliquis aliquo loco omnibus illius incolis in aliqua arte, scientia, rebus gestis, aut opibus multum excellit, eius gloria, utpote ibi rara, est omnibus admirationi, & tamquàm candelæ in loco aliis obscuro apparet valde illustris. Quòd si alij ipsi in rebus illis æquales aut superiores accesserint; sicut res eius sunt magis cõmunes, ita minus sunt admirationi, minusque splendent. omnia tamen quæ prius habebat manent secundum se integra, & in hoc differt hic casus à priore.

17 Hinc sequitur Primò, bonum alterius dupliciter posse esse destructiuum mei boni. Primò, solum mediatè, quatenus augeat potentiam eius qui mihi malè vult, atque ita efficit ut mihi iam facilius & grauius nocere possit, quàm antea poterat. Secundò, immediatè & per se, ut fit in secundo casu, quando solum nocet, bonum meum in aliorum oculis siue apprehensione obscurando, quod suo splendore per se immediatè facit.

18 Sequitur Secundò, quòd, sicut in priore casu non apprehendimus bonum alterius nobis per se malum, sed solum ratione alicuius mali, quod ex eo per accidens ratione malæ voluntatis inimici nostri sequitur; ita de eo non dolemus propter se, sed propter effectum per accidens ex eo secuturum. Secus est in secundo casu, in quo apprehendimus bonum proximi per se immediatè imminuere nostrum bonum, atque ita id apprehendimus per se immediatè nobis malum, non quidem præcisè quatenus est bonum proximi, sed quatenus est diminutiuum nostri boni, ideoque de eo dolemus propter se, tamquam de re nobis per se mala. Et hoc solum volunt Aristoteles, & quidam etiam Patres, dum dicunt

Fff 2 cunt

Qua ratione
invidus de
alieno bono
doleat.

19

D. Thomas.
Aristor.
Talis dolor
semper est
vitiosus, &
ad certum
vitium per-
tinet.

cunt invidum dolere de alterius bono, nō quia aliquid mali sibi inde accidit, scilicet omnino distinctum ab ipso bono alterius, sed propter ipsum bonum.

Sequitur Tertio, priorem dolorem posse esse valde varium, & modò bonum, modò malum, ac ex variis virtutibus, aut vitij, aut etiam ex varia merè naturali affectione non vitiosa nasci. Quare nec certum nomen habet, nec ad certum genus virij aut virtutis referri potest. Ideoque tam D. Thomas, quam Aristoteles supra cap. 9. eum ad timorem referunt tamquam huius effectum. Secus est de secundo dolore, qui semper vitiosus est, & in ratione virij eiusdem rationis; quia etsi possit versari circa varia bona proximi, & nasci ex vario inordinato amore nostri boni; tamen semper versatur circa bonum proximi sub eadem ratione, scilicet quatenus hoc apprehenditur tamquam boni proprii dicta ratione diminutivum; & sub hac ratione semper secundum se vitiosus est, & consequenter ad certum aliquod vitium pertinet.

20

Quid sit in-
vidia.
D. Thom.
Aristot.

CONCLUSIO I. Proprie loquendo tunc est invidia quādo quis dolet de bono alterius, quia apprehendit suum per id obscurari. Ita D. Thomas supra, & aperte etiam Aristoteles supra cap. 10. ubi cum docuisset invidiam necessariò esse inter aliquo modo aequales; subdit: *Propterea magna gerentes & felices invidi sunt; πένθος δὲ δι-
ονται τοὺς ἀγαθὸν φέροντες*: id est, omnes enim credunt suam auferre; ac si dicat, Tales ideo similia secum gerentibus aut obtinentibus faciliè invident, quia credunt sibi auferri quidquid his accedit. Idemque est ferè communis omnium sensus.

Probatur, quia ita dolere de alterius bono, ut per se patet, est vitiosum: cum enim proximū suo splendore aliquo modo obscurare meum nullo modo mihi sit iniuriotum, nullam habeo iustam causam de eiusmodi eius bono dolendi. Item ut ostendi n. 19. omnis talis dolor est aliquo modo eiusdem rationis in ratione virij, & consequenter ad idem vitium pertinet: atqui nullum est vitium ad quod directè possit referri, præter invidiam: ergo dicendum est esse invidiam.

21

Ad primum argumentum contrarium positum n. 11. Respondeo definitionem Aristotelis esse satis obscuram. Græcè autem sic habet: *εἰπερ ἐστὶν ὁ φθόνος λόγος τῆς διὰ τὴν ἀπάθειαν φανερῶς τῶν εἰρημίων ἀγαθῶν, καὶ τὰς ὁμοίας, μὴ ἵνα πᾶσι, ἀλλὰ δι' ἐκείνων*. quæ verbotenus latinè licet sonant: *Siquidem est invidia dolor, qui in felicitate apparente (sive ob felicitatem apparentem) dictorum bonorum (ob quæ scilicet alijs cōtingentia dixerat c. 9. aliquos alijs invidere) circa similes (sive quia hæc contingunt ijs, qui similes sunt invidenti) non ut aliquid ipsi, sed propter illos. Quæ ultima verba obscura sunt, & à varijs variè accipiuntur, sed ex capite præcedente eorum sensus accipiendus est. Vbi docet invidum dolere de alieno bono; Non quod ipsi aliquid acciderit τῶν, alterum (id est contrarium bono de quo dolet) sed propter ipsum propinquum. id est, quia alter ipsi hac ratione propinquat, cumve superat in possessione talis boni, atque ita eius bonum aliquo modo obscu-*

rat, siue, ut dicitur cap. 10. paulò inferiùs, quia invidi putant sibi auferri quæ alijs accrescunt. Ex quo patet eam definitionem non repugnare nostræ sententiæ, sed eam confirmare.

Ad secundum, sicut & ad obiectionem positam num. 14. patet responsio ex dictis num. 8. & 19. ubi ostendi non omnem dolorem de bono alterius procedentem ex timore perendi proprium distingui ab invidia; sed illum solum, qui procedit ex metu, quo timetur aliquod malum omnino distinctum à bono alterius, & quod ex eo solum remotè & per accidens procedit.

Ex his patet Primò, illum etiam affectum ad invidiam pertinere, quo incidentes in aliquam calamitatem gaudent alios eiusdem secum sortis in eandem incidisse, aut dolent si non inciderint: hoc enim fit quia apprehendunt aliorum felicitatem suam calamitatem magis notabilem reddi, & eorum infelicitatem aliqua ex parte obliterari; atque ita hanc apprehendunt vt sibi bonam, & illam vt sibi malam.

Patet Secundò, quando mercatores dolent dum vident emptores vicini officinam similes merces vendentes frequentare; si dolent præcisè quia illi suas officinas non frequentant potius quàm alienas; hunc affectum non esse invidiam, sed emulationem: imò posse aliquando fieri sine peccato. sicut enim sine peccato possunt licitis modis procurare, vt illi suas potius officinas frequentent, quàm vicini, ita licitè possunt id optare, & consequenter dolere id non fieri: præsertim quando idè magnis angustijs ac rerum necessariorum penuria premuntur. Eiusmodi tamen affectus communiter est valde periculosus, quia ita dolentes, nisi valde sibi caueant, communiter excitant, aut vt malis artibus, v. c. detractionibus aut simili ratione conentur emptores ab alijs ad se auertere; aut etiam vt absolutè doleant eos frequentare vicini officinam, adeò vt optarent eos hanc non frequentare etiam eo casu quo idè non essent frequentaturi ipsorum officinam, vt scilicet hac ratione haberent socium in calamitate. qui affectus est vera invidia.

Patet Tertio, ratio, cur invidia solum sit inter eos, qui aliquo modo similes aut inter se comparabiles sunt in bonis quæ vnus alteri invidet. Quia scilicet inter eos, qui in nullis bonis inter se comparantur tamquam aliquo modo similes, vnus splendor alterius luci nequit officere.

Patet Quarto, invidiam esse peccatum contra caritatem, & quidem ex genere suo mortale; quia sicut caritati grauiter repugnat sine iusta causa velle alterius bonum destruere, ita eidem grauiter repugnat optare id esse destructū, siue, quod idem est, dolere id non esse destructū. Ob inaduertentiam tamen, siue imperfectionem consensus, vt sæpè contingit in subitis moribus, aut etiam ob leuitatem materiæ, vt si paruum sit bonum alterius de quo ita dolemus, vt tamen nullo modo optemus eum in re grauiore lædi, potest fieri vt sit solum veniale. Hæc tamen periculosè voluntariè admittuntur, & faciliè prouincunt ad maiora.

Patet